

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Ivdiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos & Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

8. A Monymo diuitias abijcere discunt, qui feliciter volunt sapere.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45653

Quænam ergo potest esse in diuitijs felicitas? Acquiruntur, non sine cura ac labore, & plerumque non sine scelere; possidentur sæpius à malis, nec sine litibus & anxietate; amittuntur cum dolore. Parum hoc esset, nisi etiam cum illis toties amitteretur felicitas sempiterna. Atq; vt infelix hæc felicitas tanto promitiùs spernatur, docet S. Ambrosius ideo pro vera haberi felicitate eam nō posse, quia si non est scelerata, saltem facit sceleratos. *Oremus hic, inquit, potius laborem subire, vi in regno cælorum consolacionem quietis aeterna mereamur adipisci.* *Magna enim illecebra delinquenti est rerum affluentia secundarum.* *Supinat, extollit, obliuionem authoris infundit.* Considera illum diuitem in Euangelio supra ostrom & purpuram recumbentem, cuius de mensa micas iustus ille pauper Lazarus colligebat. Nonne videtur tibi diues ille ad Dominum dicere: *Dilecede à me, vias tuas scire nolo?* Et verè noluit scire huius vias Domini. Si enim velleret, cognosceret. Sed quia plene sunt laboris, fugiuntur & declinantur à perditis. Quasi ebrius itaq; non recognoscit salutis authorem. Deinde conuersus ad compotores suos. *Manducemus, inquit, & bibamus: quid prodest, si seruiamus ei?* Aut quæ utilitas, si obseruemus eum? Hec itaq; dicit secularium rerum abundantia temulentus, quia in seculo continuo scelerum merito non rependuntur. Supinabatur enim, quia in manibus ei ad voluptatem omnia suppotebant, & conscius impietatis sue cuius pœna sequestrabatur, putabat, quod Deus impiorum sceler a non videret. Non autem Deus, sed ipse non videbat, à cæco Pluto exoculatus.

VII.

S. Ambros.
in tract. de
secunda in-
terpellat.
tob.

Monymus, authore Laërtio, erat Corinthij cuiusdam Trapezitæ seruus: qui cum Philosophiæ amore teneretur, cuperetque maximè operam dare Diogeni, neq; tamen hoc ipsum à Domino posset precibus ullis impetrare, simulatâ insanâ, monetam cœpit spargere; eo modo dimissus, ad Philosophiam se conuertit, Diogenemque secutus est. Hunc modum tenent, qui veram sapientiam sectantur: pecunias abiiciunt, omnia quæ possident, abdicant, ne vitijs irretiti à cælesti Philosophia retrahantur. Videntur quidem insanire, sed illis duntaxat, qui olim dicent: *nos insensa- Sap. 5.*
ti, vitam illorum estimabamus insaniam, ecce quomodo computati sunt inter filios Dei. Tales filij fuere, quotquot, paupertatem amplexi, cum Benedicto, Bernardo, Francisco, Ignatio, aliisque Sanctis, nudis omnibus diuitijs, nudum Christum sequi voluerunt; paupertate atq; inopia felices, qui abundantia & opibus miseri extitif- fent.

VIII.

Rr 3 Verùm